

„ bytero Johanne prædicto , tunc dicti sacerdotes
 „ celebrare debeant in Ecclesia S. Pantaleonis , ut
 „ supra ordinatum in Ecclesia S. Marci . Quod si
 „ aliquis illud contradiceret in Ecclesia S. Panta-
 „ leonis ; quod tunc fiat hoc ubicumque placuerit
 „ Comissariis meis . Tamen volo & ordino , quod
 „ loco alterius sacerdotis suprascripti , presbyter
 „ Benevenutus S. Margaritæ filius Andreæ Calega-
 „ rii debeat celebrare Missam continue ut supra
 „ dictum pro anima mea , quem eligo in vita sua ,
 „ & celebrare debeat in Ecclesia sua ipsas Missas ,
 „ habendo suprascriptum salarium , videlicet lib. LX
 „ in anno . “

1923) LIII. „ Millesimo CCCXXI , mensis ju-
 „ nii , die Sabbati XX. Capta fuit pars in pleno Ca-
 „ pitulo , quod quilibet Canonicus , qui non fe-
 „ cerit continuam residentiam per XV dies ante
 „ festum Ascensionis Domini , & post ipsius festum
 „ VIII dies , nihil habeat de toto illo provenerit
 „ ad dictum festum .

1924) LIV. „ Millesimo CCCXXVI , nonæ In-
 „ dictionis , mense Junii die XVI intrante . Clা-
 „ mato & congregato Capitulo S. Marci per D.
 „ Matthæum Venerio Primicerium ; Captum fuit
 „ & ordinatum in ipso Capitulo , quod quilibet
 „ Canonicus teneatur venire omni hebdomada ad
 „ quatuor Officia : de quibus debeant esse duæ
 „ Missæ , quibus interfint . Et si aliquis non vene-
 „ rit ad ipsas duas Missas , perdat non veniens pro
 „ qualibet Missa denarios octo parvos . Et si ali-
 „ quis Canonorum non veniet ad tria officia de
 „ dictis quatuor sint (sic) perdat canteram , videlicet
 „ denarios . Et fuerunt de ista parte XXIV Canonici . “